




~~6115~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. 6115CCCXIII.





Q. B. V. 7  
EXERCITATIO PROGRAMMATICA  
DE  
VANITATE  
HVIVS MVNDI

QVA  
SVMME VENERABILIS  
DN. ABBAS  
CVNCTIQVE PROPE NOS DEGENTES  
REI LITTERARIAE FAVTORES  
AD  
BENIGNE AVSCVLTVNDVM  
QVINQVE DISCIPLORVM SERMONES  
V. ANNI 1698 XXXVIII. OCTOBRIS DIE  
TERTIAM POMERIDIANAM CIRCITER HORAM  
OBSERVANTISSIME ET PERHVMANITER  
INVITANTVR

A  
IOANNE DAVIDE MÜLLERO  
MARIANI LYCEI RECTORE QVADRAGENARIO  
AETATE FERE SEPTVAGENARIO.

---

HELMAESTADI  
EXCVDEBAT PAVL. DIET. SCHNORR  
ACAD. TYPOGR.

EXERCITIO DE  
VANTATE  
HAVIS MANDI

GRAME VERITAS  
D. N. A. B. A. S.  
CYNOLOGIE PROE NOS DEGENES  
REI LITTERARIE KAVTORES  
AC  
MENSE AVGVSTIVM  
QVINGVE DISCVLORVM SRRONES  
V. ANNI MDCCXXVIII OCTOBRI DIE  
TEXTAN POMERIDIANAM CIRCVTER HORAM  
OBSERVAVIT ET VERVMALIT  
LITERTV

A  
IOANNE DAVIDE MILLERO  
MAGISTRO RECTORI QVADRIVARIO  
ACADEMIE SEPTAVAGANTIAE

HERMSTADT  
EXCVBENT HAVL. NIEL. SCHNORR  
ACAD. TYPOG.



DE  
MVNDI  
HVIVS VANITATE.

**H**Ebræi variis vanitatem, id est, nihilum, res nihili & nullius momenti, designant nominibus. Ecclesiastes cap. i. v. 2. dicit: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Nos in mundo vivimus, nec, quid sit mundus, scimus, nec ejusdem vanitatem agnoscimus. Sic quidam in antiquissima nobilissimaque philosophia versatus, hominum dolebat incuriam. Licet enim nostris mundum usurpemus oculis, ita tamen plerumque mortalium natura est comparata, ut mundi rationem seu conditionem ignorent. Idem nobis obtingit, quod illis, qui in peregrinationibus ornata tantum palatia, speciosos atque excultos hortos, aut raras circumspectant scaturigines, atque id, quod ingenium, mores & vitam excolere potest, ignave prætereunt. De egregio hujus mundi theatro quotidie admiramur, in jucundo tot pulchrarum rerum creatarum lætamur conspectu, atque adeo amamus mundi vanitates, ut, ceu Brabantinus ille mercator, nil magis in votis habeamus, nil nobis sit optatius, quam ut amœno hoc terræ tractu æternum fruamur; ac si heic firmum bonum inveniendum, nec potius multo altiori in loco quarendum esset. Omnis enim pompa terrestris lubrica & fragili nititur glacie, quæ solis æstu liquefcit,

quescit, ut tum omnis, quam sibi imaginati sunt homines, momento, id est, celerrime evanescat voluptas. Multa certe in hoc sunt universo, quorum contemplatio illos singulari afficit gaudio, qui naturæ arcana pervestigant. Lælius dat operam, ut in maris littore fluctus huc illuc pulsatos enumeret; Scipio conchas marinas, littori appulsas, legit atque illas aperiens, earum vitam & vim, quam qualitatem dicimus, cognoscendi cupidus est; celeberrimus ille Gallus, Balzacus, incredibiliter delectatur aquis, cum sub illis, quod in aere contingit, contemplari potest, & gaudio suffunditur, quando sol occidens tot mille de se spargit colores; verum, ut taceam, plerosque in mundo mundi parum esse curiosos, nisi eclipsis solis, cometa, aut aliud inusitatum meteoron somnum ex ipsorum excutiat oculis; ita etiam deliciæ & voluptates, quæ suam ex mundo ducunt originem, tam labiles, caducæ, & cito sunt perituræ, ceu illius inhabitatores. Proh Deum immortalem! quam caducæ & fluxæ sunt res humanæ, quam nec quicquam est stabile, perpetuum & firmum, quam mutabiles sunt res omnes, quam nihil unquam in eodem statu permanet: quicquid enim excellit, quando in summum claritatis fastigium evasit, Deorum indignationem effugere nequit, & rursus redigitur in nihilum. Nihil in rebus humanis est fixum, sed & ii, qui maxime florent, & ii, qui humiles & abjecti sunt, incertos habent exitus, ac pariter pro fortuna ipsorum laude, vituperio, honore & ignominia afficiuntur. Verum est, quod initium habet, finem quoque sortiatur oportet, sed cum conditione, ita scilicet, ut rerum finis vario modo, diverso tempore variisque fieri soleat horis. Politici civilium rerum inconstantiam speciosis tegunt coloribus, quando regnorum & principatum mutationes vel fato  
regen-



regentis, vel principi subjectorum attribuunt contumacia. Maximis mundi regnis certos constituunt terminos, & pro miraculis habent, quod Maurorum regnum in Hispania septingentos duraverit annos, & Venetia adhuc diutius sine mutatione se servaverint. Naturæ speculatores venatoresque magnam dant operam, ut occultissima naturæ sacra & recessus peragrent. Multa quoque latentia naturæ monstra quidem sciunt, sed multo plures nesciunt res. Illorum princeps in Euripum se præcipitem dabat, quia intelligere non poterat, cur & quomodo angustum hoc fretum unius diei & noctis spatio septies eo recurreret impetu, ut navigia in repugnantibus ventis secum raperet. Boni viri, si magnetem ferrum trahere, & Salamandram in igne vivere vident, nec ullam huius rei ingenuam reddere possunt rationem, humanæ recordentur imbecillitatis. Sic maxima naturæ miracula illorum intellectui non minus, quam pretiosissimi in abditissimis terræ visceribus thesauri, sunt occulta. Hoc unicum sciunt, nihil in hoc esse universo, quod inconstantiam non pro stabili habeat fundamento. Nec multum forsan præterfluxerit tempus, quo mundus misso ab igne victus ruet, quemadmodum primus mundus cataclysmo est absorptus. Si igitur magnum huius mundi opus atque ædificium vanitati est expositum, vix bona illius in duratione prærogativam habere, multo minus inhabitatores immortalitatem sibi promittere poterunt. Apelles Cous, eximius, ingenio & gratia præstantissimus pictor, Alexandrum Magnum fulgur in manu habentem pinxit, haud dubie vim illius armorum & victoriarum splendorem significaturus. Quemadmodum vero fulgur modo in momentum perdurat, & postea evanescit: sic quoque huius mundi domitoris conditio erat comparata. Omnes eius res gestæ tam cito mundi oculis incurrere

non poterant, quam vicissim cum eius vita suffocabantur, & angustum sepulchrum continebat eum, quem spatiosissima propemodum mundi machina complecti nequibat. Divitiæ quidem atque opes afficiunt oculos, cupidumque delectant animum; sed faciunt sibi pennas, &, quasi aquilæ, avolant, & transeunt, sicut umbra, & redire obliviscuntur. Omitto, virtutem citius apud pauperem Biantem, quam divitem inveniri Cræsum, & sua forte contentum Zenonem post amissas opes hoc uti solatio, quod accuratiore sedulitate virtutibus litare, splendidisque earum ornamentis magis decorari possit. Voluptas per se pro animæ morbo non est putanda. Est enim maximi Dei motus in hominis sensu, & affectio tota simul & sensibiliter in naturam proficiscens; est condimentum, quo nostræ condiuntur actiones. Hoc invententes Romani multas plebi concesserunt voluptates, & quotannis certos indulserunt ludos. Licet igitur voluptates per se non sint malæ, ab intemperantibus tamen hominibus perduntur. Ex illis fiunt Sirenes, quæ cantu suo nobis sunt exitiosæ, quarum dulcedo nos a tramite virtutum in vitiorum viam deducit, atque inde in perniciem præcipitat. Profundos adaperiunt scrobes, in quos ab omni spe derelicti se præcipites detrudunt, facileque forsitan probari posset, plures homines & provincias Venere & Baccho, quam igni & gladio, periisse. Principum ac Regum gratia florere, in maxima felicitatis parte reputandum. Verum gratia hæc est res leviter mobilis, & valde fragilis, estque circumspecta mollioris brachii observantia attingenda, amplectenda & fovenda, nisi eius multis annis vix acquisitæ iacturam vel uno momento facere velis temerariam. Principes hodie in sinu fovent, quos carceribus, catenis, & vinculis, omnium scelerum vindicibus, cras detinent & plectunt. Tam  
vana

vana est, & tam levi motu indulgens principum vacillat gratia! Mirabilis est hominum fortuna, dum unum extollit in altum, alterum deprimit. Agathocles ex figulo rex fiebat, & Dyonisius, qui populorum terror vocabatur, Corinthi ludi Magistrum agens, pueros in triviis docuit. Sic mundi gloria ceu fumus evanescit, ceu glacies frangitur, & sicuti flos flaccescit. Parva nubecula diem obscurare & unicum momentum solarem magnæ gratiæ radium in nigrum ac dirum fulmen convertere potest. Seianus spem somnium nominabat vigilantium: certe, qui spem suam cum illo in principum ponit gratia, vigilans somniat, ignes fatuos sequitur, qui noctis tempore iter facientes in periculosas seducunt vias. Et quid de inenarrabili humanæ vitæ miseria dicam? Tyrius carceris, atque doctus Seneca perpetui certaminis nuncupabat nomine. Quenam adversitates misero homini ab incunabulis usque ad bustum atrum in mundo non contingunt? in mundo, qui externe ceu templa Ægyptiaca pulchre & magnifice exornatus, interne vero nil, nisi immanes bestias hospitandas suscipit; in mundo, quem optimo jure cum aula immanis Draculæ & crudelis Basilowizii comparare possumus, ubi nil, nisi patibula & hastæ, rotæ & montes capitum cervicibus ferro abscissorum pleni apparent; aut cum loco, in quo tortores eculeo maleficos sceleratosque imponunt, ubi nil, nisi diræ judicum minæ, horrendi carnificum clamores, miseranda cruciatorum maleficorum lamenta, flebiles ejulatus, & tristissimi illorum audiuntur planctus. Cum igitur in mundo omnia sint vana, pallidaque mors æquo pulset pede pauperum tabernas, regumque turres; cum, inquam,

*In mundo spes nulla boni, spes nulla salutis;*

erit

*Vna salus servire DEO, sunt cetera fraudes.*

PER-

## PERORATVRI.

FRANCISCVS CHRISTOPHORVS PHILIPPVS BENDER, Bahrdorfio-Brunsvigius, *de amicorum raritate* lingua vernacula symbolice differtabit.

JOANNES HENRICVS WESEMANN, Wolfenbüttelanus, *in Quidam s. cæcum sui amorem* latine invehetur.

JOANNES GEORGIUS LVDOVICVS MITGAV, Volckershemio-Brunsvigius, *de duellis s. singularibus certaminibus* germanice dicet.

AVGVSTVS DANIEL TRAEER, Helmstadiensis, Chreiam Aphthonianam de dicto Horatii L. III. Carm. od. 2.

*Raro antecedentem scelestum*

*Deseruit pede pœna claudo:*

profa latiali recitabit.

RVDOLPHVS HENRICVS GEORGIUS RÜDEMANN, Ahlumo-Brunsvigius, *de taciturnitate* sermone patrio loquetur.

Quos ut summe venerabilis Dn. Abbas, ceterique, qui favent ingeniis musisque liberalibus, semotis paulisper rerum graviorum momentis, benevoli audire dignentur, majorem in modum etiam atque etiam contendimus, tantum beneficium, si non re, grati tamen animi valore, compensaturi. P.P. in Valle

S. Mariae, anno a virginis partu

MDCCLXXXVIII.



Ung. VI 58. (1)

ULB Halle

3


002 686 287



56,

VD17  
Sep. 2000 Pcl.





inches

Centimetres

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

Q. B. V. 7

EXERCITATIO PROGRAMMATICA  
DE  
VANITATE  
HVIVS MVNDI

QVA

SVMME VENERABILIS

DN. ABBAS

CVNCTIQVE PROPE NOS DEGENTES

REI LITTERARIAE FAVTORES

AD

BENIGNE AVSCVLTVNDVM

QVINQVE DISCIPLORVM SERMONES

V. ANNI cl<sup>o</sup>l<sup>o</sup>ccXXXVIII. OCTOBRIS DIE

TERTIAM POMERIDIANAM CIRCITER HORAM

OBSERVANTISSIME ET PERHVMANITER

INVITANTVR

A

IOANNE DAVIDE MÜLLERO

MARIANI LYCEI RECTORE QVADRAGENARIO

AETATE FERE SEPTVAGENARIO.

---

HELMAESTADĪ

EXCVDEBAT PAVL. DIET. SCHNORR

ACAD. TYPOGR.